



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Posita in sacris locis impiorum cadauera, cu[m] ignominia inde eiecta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

caussa testimonio seruantur, corpus verò illius omnino non inuenerunt, ac si in eodem sepulchro positum non fuisset. Quis honor fuit isti, in templo habere monumentam, sine corpore? nisi vt in templo audiretur clamare: *Ardeo*, qui arsit in inferno?

## IV.

Ioan Naucl.  
gener. 40.  
vol. 2.

S. Antonin.  
p. 2. Chronic.  
tit. 17. cap. 6.

Idem ibid.  
tit. 16. cap. 7.  
§. 6.

S. Gregor.  
lib. 4. Dial.  
cap. 52.

Cyrril. ep. ad  
Augustin. de  
laudib. D.  
Hieronymi.

Ioann. Cu-  
spinian. in  
Cesaribus.

7. Quia sicut quorundam Sanctorum corpora, ad tempus, indecorè abiecta sunt, vt postea maiore cum gloria sepelirentur; ita vicissim impiorum corpora non rarò inferuntur in templa, vt inde turpiùs eiecta doceant, quo loco condi mereantur. Sic Almaricus Carnotensis Episcopus, quòd hareticæ cuiusdam sectæ fuisset author, à Concilio condemnatus, & de sacro cœmeterio eliminatus est, eiusque cinis & ossa hinc inde dispersa sunt. Sic Henricus quartus à S. Ecclesia excommunicatus, & Leodij in templo sepultus, mandato Pontificis, quamuis Imperator fuerit, tamen è loco sancto, & omni sepultura Christiana exclusus est, vt testatur S. Antoninus. Qui etiam refert, B. Dunstanum, cum fidelis iuxta illum terræ mandatus esset, primùm per puerum, cui apparebat, iussisse illum exturbari inde; postea, cum id non fieret, à quibusdam monachis visum esse, à loco discedere. A quibus interrogatus, cur discederet, respondit: *Se fetorem pagana carnis, & quorundam illic uiuentium iniquitates ferre non posse.* Sic B. Faustinus Martyr, postquam Valerianus Patricius in illius templo fuit inhumatus, a ditimo se visendum stitit, dixitque: *Vade, & dic Episcopo, vt proiciat hinc fetentes carnes, quas hic posuit, & c.* Sic causam grauissimi tumultus in templo auditi, populo & Episcopo iteratis precibus roganti, D. Hieronymus sole splendidior indicauit, id ob impudicum & ebriosum Sacerdotem inibi indignè sepultum contingere, iussitque illud exhumatum flammis in cineres redigi, si vellent peste grassante liberari. Quod ubi factum est, etiam pestis cessauit, vnà cum pestifero caduere extincta sublataque. Sic non solùm Diui immortales, sed ipsi etiam mortales impiorum caduera tractauerunt. Nam Constantinum Copronymum Imperatorem eius nurus Irene, Theodori Antistitis hortatu, ex Imperatorio sepulchro erutum, publicitus concremari, cineresque eius in mare iactari iussit, tanta pietatis amatrix, quanta impietatis hostis. Cur pij homines hoc non facerent, cum legamus,

gamus, ipsos canes tales esse impietatis ofores? Insignis author, alibi à nobis laudatus, narrat, duos in Flandria fuisse viros copiosos, inueteratâ inimicitia, sibi mutuò insidiantes, quorum vterque dies noctesque meditabatur, quò pacto alterum posset è vita tollere. Horum vni erat seruus, qui priùs seruiuerat alteri, nebulo omnium notarum. Hic avaritiâ extimulatus clam accessit ad priorem dominum, compositoque ad fraudem sermone, ei pro antiquis beneficijs gratias ingentes agens, asseruit, meminisse se, quàm bonum antè herum habuerit, quàm benignum, & mansuetum, ac liberalem, eùm illi seruiret; nunc autem luculentè se experiri, quantum sit inter dominos discrimen: incidisse enim se in herum pessimum, malignum, & immitem ac sordidum; quare id consilij cepisse, vt eum illi in manus traderet. Quod sibi perfacile fore, affirmavit. Exhilarauit inimicū animū optata hæc occasio; quare sine mora ei spondit, certam pecuniæ summam ei ex pacto se soluturum, quàm primùm dominum suum tradidisset. Nec diu circumspectanda fuit opportunitas. Callido & infido seruo semper est occasio nocendi hero. Citò igitur eum obtulit rapiendum & occidendum. In herilis sanguinis pretium pecuniâ accepit; maluit enim domino, quàm argento carere. Verùm numquam satiatur cupiditas pecuniarum. Quia ergo existimabat, prodicionis suæ crimen nulli, nisi cum quo pepigerat, notum esse, ausus est lucrum sperare duplex, & facinus facinori superaddere. Itaque ad occisi cognatos amicosque adiit, questus, se domino spoliatum, crudelissimè interempto; indignum factum, non inultum relinquendum. Enimuerò se adesse paratum, ad tam detestandi flagitij vindicandi viam aperiendam. Innotuerat autem illis jam aliunde, eum ipsum fuisse perfidum domini sui proditorem. Quare manus ei & vincula iniecerunt, eumque ad iudicem miserunt, iudex in crucem. Inde tamen amicorum precibus, demptus, & sepultus est, vt nominis quoque memoria, & infamia sepeliretur. Sed diuinus vindex sæpe dedecora, quæ homines tegere conantur, luculentius manifestat. Nocte intempesta, miser de patibulo sublatus, & in terra defossus est, non diu quieturus. Vix enim die factò, ignoti quidam horridiq; canes adfuerunt,

Aaaaa 2

&amp;

Thom. Cano  
tipr. lib. 1.  
Apum. c. 14.  
§. 2.

& velut ad nouerca tumulum fierent, triste ululantes spectantibus multis, cadauer refossum inrer se se in morem Absyrti discerperunt. Non constat, vnde canes illi aduenerint. Credibile est, de Cerberi profapia fuisse. Nam ex Orco veniunt ministri, qui homines è loco sacro trahunt ad Orcum.

V.  
S. Gregor.  
lib. 4. Dial.  
cap. 53.

Cuius rei memorabile exemplum refert S. Gregorius, his verbis: *Adest in presenti venerabilis frater Venantius, Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius vir nobilissimus atq; veracissimus, qui se scire, suisq; homines interfuisse testantur, eam rem, quam narrant, nuper in Genuensi urbe contigisse. Ibi namq; ut dicunt, Valentinus nomine, Ecclesia Mediolanensis defensor, defunctus est vir valde laticorpus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia beati Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia facte sunt voces, ac si quis violenter ex ea expelleretur, atq; traheretur foras. Ad quas nimirum voces cucurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam terribilissimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem, ac nimium vociferantem foras traherent, qui videlicet exterriti ad sua strata reuersi sunt. Manè autem facto, aperientes sepulchrum in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cumq; extra Ecclesiam quærerent, ubi projectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut ab Ecclesia fuerat abstractum. Ex qua re, Petre collige, quia his, quos peccata grauiora deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat, ut & jam de sua presumptione iudicentur: quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa re-meritatis accusent. Quia alieno choro pedem intulerunt.*

VI.  
S. Gregor.  
Turon lib. 1.  
de gloria  
Martyrum  
cap. 89.

Alter quoque Gregorius, sanctitate illustris, Turonensis Episcopus, terribile factum recenset, de quodam Antonio Tulosano, quod Abronis, aut Apicij vitam duxisset, & nec aram, nec fidem habuisset. Deo pariter & hominibus exoso, quem vel melius, vel boni Genij è sepulchro, certè non sine Dei nutu, excusserunt. Cùm palàm improbus homo in S. Vincentij templo esset tumulatus, in quo ipse viuens sibi capulum collocarat, concubia nocte, Sandapila illa, vna cum cadauere, è sancto loco est sublata, atque per fenestram è templo exturbata, & publicè prostituta, dieque exorto, operculo diffracto, palàm  
omnium